



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

CXLVII. Libellus dotis Miczae filiae Ioannis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

quod dedit Ermengaudus Pontifex in manu Ermengaudus Comite proli Ermengaudi, & ad Boni filij Marchi solidos trecentos.

CXLVI.

Droconis Episcopi Bellovacensis epistola ad VV. coepiscopum suum.

Ex schedis
e. v. Jacobi
Sirmondi.

FRatri & coepiscopo VV. D. Belvacorum Episcopus salutem. Si res ita se habet ut vobis vester fidelis ill. narravit, illos sacrilegos non tam excommunicatis quam excommunicatos esse denuntialis. Nam si humana lingua taceat, divina tamen auctoritas post patratum flagitium mox illos anathematizat. Quod ex verbis Domini colligimus sic loquentis ad discipulos suos: *Qui vos spernit, me spernit. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Illi enim membra Christi & pupillam dominici oculi non solum tetigerunt, sed, ut audio, acriter verberaverunt. unde & protinus divino iudicio communiione privati fuerunt. Vbi de re peritura agitur, danda sunt forsitan in quibusdam negotiis harum vocationum dilaciones. Quando autem hoc tale & tam maximum committitur sacrilegium, in quo verum Dei templum non manufactum violatur, eodem momento operator huius iniquitatis non tantum reus efficitur excommunicationis, sed etiam alicujus magni supplicij quod possit & ipsam superare gehennam. Redde igitur eos absque dilacione excommunicatis qui non timerunt extendere manus in sanctos Dei. Quod si queratur quomodo puniri vel corripi debeant, expedit eis ut mola asinaria gravati demergantur in profundum maris, qui famulis Christi scandalum inferentes verberibus eos & contumeliis afflixerunt. Leges quoque mundanae in Capitularibus precipiunt huiusmodi aut capitali sententia puniri, aut exilio deportari, aut manus incontinenter extensas praecidi, aut depositis militaribus armis in monasterio sub perpetua retrudi penitentia. At vobis pro tempore & seculari consuetudine mitius erit agendum, videlicet ut prius vobis emendetur excommunicatio; deinde capitalia, si ablata sint, cum lege triplici reddantur. ictus quoque singuli & punctiones secundum legem tripliciter emendentur. Postmodum exigit ab eis triginta libras quae solent dari pro infractione atrij Ecclesiae. Multo enim pretiosior est Dei minister quam atrium templi vel parietes. Praeterea congrua injungatur eis penitentia aut septem aut quinque annorum, ut & isti corrigantur & ceteri metum habeant. Hoc est excerptum de sexto libro Capitularium capitulo xcviij. *Si quis sacerdotem vel Levitam aut monachum debilitaverit, juxta statuta priorum capitulorum quae legi Salice sunt addita componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, nobis persolvat. & arma relinquat, atque in monasterio diebus vite sua sub ardua penitentia Deo serviat, nusquam postmodum seculo vel secularibus militaturus, neque uxorem copulaturus.*

Tempore Ludovici Regis patris Lotharj fertur quiddam actum. Cum quidam ira permotus quendam sacerdotem gravissimum affectum injuriis

& ad extremum plagis non timeret lacerare plurimis, uterque coram regia censura deductus est. Qui diligenter causam examinans, Christi ministris ut doceret omnem exhibendam reverentiam, omnes circumstantes sibi sic allocutus est. *Ornis, inquit, nostrae religionis cultus per sacerdotum officia percelebratur; ideoque eis omnimodis cultus reverentiae divinae exhibetur, non eorum aliquando hoc exigente vitae merito, sed ut in eis videatur a nobis obtemperari Christo. Unde hunc qui sic intemperanter efferatus in Dei sacerdotem est deductum censeo ad arboris stipitem stringi, omni vestimentorum adempto tutamine. Cum itaque juxta Regis sententiam comprehensus, nudatus ad arborem locis fuisset constrictus, tanta ibidem refertur repente advenisse permoesta multitudo muscarum ut antequam Rex fecisset regrediens militarium, omne corpus ejus comestum referretur.*

CXLVII.

Libellus dotis Micæ filiae Joannis.

IN Dei nomine. Scriptum morgincap qualiter ^{An. 1044.} ego Johannes filius quondam Dominici donatario ^{Ex charta} tradido, atque confirmo tibi Micæ filiae quondam ^{lario mona-} Iohannis dilectae conjugi meae quartam portionem ^{sterij Ca-} de omnibus rebus proprietatis meae quas modo ^{saunensis.} habeo vel inantea Deo juvante conquirere poterō sive infra territorium Pinnense in loco qui nominatur Salajano aut infra istam marchiam Firmanam aut infra totum regnum Longobardorum, ubicunque habiturus vel possessurus fuero, quartam portionem de casis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, falcetis, canetis, olivetis, ficariis, pomis, arboribus fructiferis & infructiferis, cum rivis, ripis & aquis, aquarumque decursibus, & usui aquarum, de rebus censuatis & manualibus, de montibus & planis, de castellis & civitatibus, de Ecclesiis & ornamentis & pertinentiis suis, de locis molendinis, de ferreis & ancillis, de auro & argento, de caballis & jumentis, de bubus & vaccis & minutis animalibus, de ferro & rame, de pannis laneis & lineis & ferreis, & de omnibus mobilibus & immobilibus rebus, ut alia die post noctem nuptialem, qui est dies votorum nostrorum, ante parentes & amicos nostros ostendam hoc scriptum testibus roboratum & dicam: Ecce quod conjugi meae in morgincap dedi. & sic ab hodierno die firmum & stabile tibi Micæ vel tuis heredibus permaneat. Quod verò scripsi ego Aczo Notarius & iudex ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi anno **MXLIIII.** mense Octobri, Indictione **VIII.** Actum in Pinne feliciter. Bernardus, Johannes, Ardoinus, testes.

